

Guilielmus  
Philander  
in Vitruv.  
Plin. l. 15.  
c. 28. & lib.  
16. c. 32.  
in Phad.  
Colum. l. 7.

potentialis adest divisio, & subobscurus color inter virorem glaucinum, & atrum, & à quibus molities extrinsecus abest, & in eo sita videntur esse, quod alii cortices sint tenues, alii crassi; alii laeves, alii carnosii; alii per partes successivas decidui, vel constantes; alii nervosi, alii macilenti; alii multipliciter tunicati, vel per longum divisibiles, seu filamentosi; alii variè colorati, tū formaliter tū casualiter; alii odorati, aut inodori, vel foetidi; alii deniq; sapidi, insipidi, dulces, amari, acres, austeri &c. Quæ omnes Prænarratæ differentia de lignis quoque verificantur, & multò etiam plures, quæ haud difficulter in exacto quaquà versum ligno diudicantur; ubi præter densitatem, & raritatem, ponderositatem, vel levitatem, coloresque ferè omnes, substantia, vel homogœna, vel eterogœna, vel pectinatim excurrentibus venis delineata, vel omninò indiscriminata apparebit cum nullo medullæ vestigio, vel alterius lignosi visceris, sub quo statu dubitari potest, an prævaleat frangibilitas, vel ipsa scissionis facilitas, nullis præcipuè apparentibus rimis, quarum absentia materiam ad æternitatis opera declarat aptissimam, teste Aristotele; Verùm multò plures Arborum differentias nobis suppeditant Folia pilis animalium respondentia, & quamvis eorum pleraque sint plana, & colore virenta, supernèq; nervosa, eallosa articulata, & partim carnea, & cartilaginosa, necnò lanugine aliquali obsita, & heliotropia, scilicet ad solem se convertentia, vel saltem oscitantia, tot ipsa figuris variantur, quot Planimetrici, vel Stereometrici in Mathematicis perfruuntur; nam illorum aliqua sunt latissima, alia angustissima, & in acutissimum angulum desinentia, alia orbiculata, alia trigona, quadrangularia, pentagona, hexagona, & multilatera; alia crassa, & carnosia, alia singularia, alia numerosa, alia laciniata, incisa, capillata; alia caduca, scilicet casibus autumnalis cadentis temporis obnoxia, quorum meminit Virgilius.

Virgil. Aen  
l. 6.

*Quam multa in Sylvis Autumni frigore primo  
Lapsa cadunt folia.*

Idè Georg. 2.  
Plin. l. 16.  
c. 23.  
Vid. & cap.  
26.

Alia indecidua, scilicet haud ullis labentia ventis, quæ Xerampelinum, idest siccitatis colorem non prius admittunt, quam alimentariæ scaturiginis in matre totus defecerit humor. His contermini Flores foliorum scutis corpora tecti, imò & intrinsecus quoque foliati, variis differentiis subsunt & ipsi, varias in quibus temperaturarū dissimilitudines produnt, dū ipsi aut densi sūt aut moles, asperi, subtiles, crassi; albi, ligustrini, cærulei, purpurei; carnei, rubei, balauftini, rufi, aurei, crocei, lutei, virides, pallidi, glauci, foliolis item alati rotundis, oblongis, angularibus, ternis, quinis, septenis, vel pluribus, fistulosum, papposum, carnosumve, & solidum corpusculum circumdantibus; cum variis quoque additamentis capitulorū, calyculorū, valvularū, julorū cachrydumvè innumeras penè distinctiones causantibus A Fructibus demum principalissimæ Arborum differentia decerpi debent, & quæ cæteris omnibus in Dendrologica doctrina sanè debent præferri, ex proprio siquidem fructu dignoscitur Arbor; sicuti ex operibus, quæ sunt veri fructus Hominum dignoscitur Homo; Fructus ergò ratione finis escarii, qui Arborum verus sunt actus, ut ex sacris colligitur paginis, in quibus habetur quod in creatione Mundi omne lignum pulcrum fuit visu, & ad valescendum suave, vel sunt *Alphitoci*, hoc

P. Nouarin.  
Ang sacr.  
2126. n. 11.  
175.

est farinosi, qui postquam medullariter exsiccati fuerint, in farinam pro panificio sunt reducibiles, quemadmodum glandes omnes id est fructus coriaceo intimiore tegmine vestiti; Vel sunt *Potomij*, humidioris scilicet substantiæ, qui recentès adhuc sub maturitate copiosum fundunt liquorem potui aptum; Vel sunt oleosi, quorum carnes, aut medullæ compressæ pinguem dant humorositatem ad ciborum condimenta facientem: & hæ differentia fructuum generaliores sunt; Specialiores autem, & subdivisibiles tot nobis erunt, quot capitula trium hujusce Voluminis librorum enumerabuntur. Quod verò spectat ad fructuum Arborum differentias per omnia genera, eunctasque per species vagantes, infra scripta hæc superioribus jam dictis adjicienda duximus; nam figuræ, magnitudines, colores, saporès, partium numeri in unoquoque genere accidentaliter tantum similes reperiri possunt. Crediderim in primis diversissimas fructuum materias, formas, atq; figuras perpulchras, solidas, suaves in supermo gradu vegetabilis Bonitatis esse collocandas, ita ut de Natura loquens Lucretius in ordine ad fructus sic cecinerit.

Tres præcipui Fructus, Frumenti, Vini, & Olei.

Lucret. l. 5.  
de nat. ver.

*Ipsa dedit dulces fœtus, & pabula lata.*

Ipsa namque cœlestia, terrestriaque dona in fructibus Arborum excellentiorum conjungere visa est, ima summis perbellè concilians, & pondera quoque sursum ferens, & uni reddendo formæ pedes, capitaque ejusdem vegetativi census, quò sequens direximus *Distichon*.

l. 1. de pl.  
c. 3.

*Incipit, & capit. Arboreum. Caput, omneq; finit,  
Ætheris, & terra nobilis esca beans.*

Has fructuum figuras philosophicè speculatus ingenio Aristoteles magni eas censuit esse literarii momenti, dum scripta isthæc verba reliquit: *Item figura fructuum si fuerint Sylvestres, differentes habent positiones, neque omnes sunt angulares, neque linea recta omnes sunt.* Nam triangularitas Minervæ dicata virtutem designat in medio duorum extremorum, quemadmodum est Benefactrix Benevolentia, quæ frigidæ despicientiæ, & impensissimi ardoris est experta, undè Fructus tristitiam efficaciter excludentes, gaudiaque per bellè, nec non arctè sibi alligantes triquetra præcipuè figuræ omnium temperatissimi sunt partium Arborum; Pentagonitas itidem fructuum, Hexagonitas, Heptagonitasque compositæ veluti Figuræ trigonum intragone amplexantes Iustitiæ, & Æquitatis etiam naturalis semina quædã continere videntur, quibus hoc *Distichon* applicari haud ineptè forsan poterit.

*Iustitiam Trias hic docet, hic dat Terras & equum,*

*Quies decet Aeternum conciliare Jovem.*

Hemiciclares postmodum, conoidales, & turbinatæ figuræ, ac ellipticæ speciositates non paucas, tam internas, quam externas manifestissimas faciunt; quæ sensum hoc metto, concludendū censui.

*Bina ubi consurgit recti, curvique figura  
Formosus fructus quis semel esse putet?  
Conatur Conus, Turboq; salubria Poma  
Reddere, & oppositas præripuisse vices.  
Rescunt alibi melius nec lumina Soles,  
Ellipsis quam per segmina composita.*

Hinc fructuum magnitudo titulos acquisivit jure merito Regios; in majori siquidem quanto,

A 4 & bo-